



~~11-73.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-73. ———
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.



כַּשׁ יְהוּרָה

40

DISPUTATIO LOGICA

De

INDIVIDUO

Quam

ATHENIS LEUCOREIS

publicæ Συζητήσεως
subjiciunt

PRÆSES

M. GERHARDUS WICHMAN,

Lübecensis

&

RESPONDENS

CASPARUS FRIDERICUS BRAST

Erffurtensis.

Die 21. Sept.

In Auditorio Minor.

horis mat.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS HAKEN,

M DC LXI.

54

INDIVIDUO

MICHAELIS WIGMAN

CAPITULI





PROLOGUS!



Ulamvis Individuum in Logicis non sit universale seu predicabile uti Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens, est tamen universalium seu predicabiliu Subjectum, atq; ordinis predicamē- ralis basis & fundamentum, cui Genera & Species innituntur. Quemadmodum jam aedificium, sub- latâ basi seu fundamento, pessum it atq; corrui, ita sublatis Indivi- duis nullum amplius in naturâ erit Genus, nulla Species, & simul quoq; omnis ratio ac veritas predicandi exspirabit. De hoc Individuo impræsentiarum paucis agemus, ejusdemq; doctrinam tribus Com- matibus, quorum primum Dogmaticum, alterum Elenchticum, & tertium Canonicum erit, breviter comprehendemus. **DEUS NO- BIS ADSIT!**

COMMA PRIMUM DOGMA- TICUM.

§.1. Principiò notandum hoc est, Individuum aliter à Metaphysico considerari, & aliter rursus à Logico. A Meta- physico illud consideratur, quatenus Enti singulari respondet, & nihil aliud quàm rem singularem notat, quo modo quoque Ens Entium ipse **DEUS** gloriosus Individuum vocari potest, cum ille, ut simplicissimam, ita & singularissimam habeat es- tiam, à Logico verò Individuum consideratur, quatenus in se, continet predicabilia, iisdemque ut basis & fundamentum sub- sternitur, quo modo aliàs dici solet, hominem non esse in re- rum naturâ, sed hunc hominem, illum hominem, Animal non- esse in rerum naturâ, sed hoc animal, illud animal, brutum non esse

esse in rerum naturâ, sed hoc brutum, illud brutum (putâ materialiter & extramentem.)

§. 2. Cæterùm Individuum Logicè (uti hoc loco fieri debet) acceptum variè à variis Autoribus definitur: Scheiblerus in *Opere Logico* p. 103. illud describit: Quod sit id, quod sub specie contentum est hoc aliquid, hic & nunc. Circa quam Descriptionem monet eam sumtam esse ex conditionibus individualibus, esse hoc aliquid, esse hic, & esse nunc: Monet insuper notabilia esse verba hæc: *Quod sub specie contentum*: Ut nempè intelligatur, non omne quod quâcunq; ratione singulare est, hic in gradu prædicamentali poni, sed id solùm, quod habet entitatem à specie participatam, atque sic stante hac hypothese & explicatione, DEUM etsi sit singularis, tamen non pertinere ad hunc gradum prædicamentalem singularium, quia ille supra se Superiorem non habet, à quo esse participet, hancque conditionem maximè hoc loco necessariam esse ait: quod si Individua non continerentur sub Specie, solveretur catena & Scala prædicamentalis, in quâ semper superius inferiori concatenatur, illique essentiam largitur. Quæ omnia verissimè à Viro Doctissimo pronunciantur.

§. 3. *Porphyrius* in definiendo Individuo partim respexit ad proprietates cuiuslibet Individuo proprias, & secundum eandem rationem alteri incommunicabiles, partim admodum prædicandi Individuo proprium ac peculiarem: Prior modo Individua ita descripsit: in *Isag.* c. 3. §. 16. *Individua dicuntur talia, quorū unūquodq; constat ex proprietatib9, quarū collectio nunquā in aliquo alio eadē esse potest.* De qua Definitione Porphyrianâ placet audire iudicium *Mendozae*, qui *Disp. 5. Log. sect. 5. p. m. 116.* eam ita interpretatur: *Individuum ait Porphyrius esse, cuius collectio proprietatum in nullo alio eadem erit, quæ Definitio non est quiddiativa, nam res non sunt individua per Accidentia, sed per suas intrinsecas entitates, quia unaquæq; res à parte rei est intrinsecè singularis, est autem descriptiva & optima, quia ex naturâ rei (sic enim est intelligenda,) nullum Individuum est alteri simile in omnium proprietatum collectione, sive sit Accidens Individuum, sive Sub-*
stan-

stantia, sive in Abstracto, sive in concreto. Rogas cur definiuerit Porphyrius Individuum per Accidentia? Respondeo optimâ ratione quia in Logicâ agitur de rebus in ordine ad nostros conceptus, & quia tunc concipimus determinatè, clarè & distinctè Individuum, quando videmus in eo aliquam proprietatem, quæ in nullo alio reperitur, nam quando alia similis in alio reperitur, neutrum cognoscitur clarè per ordinem ad illam.

§. 4. Posteriori modo, quando scilicet ad modum prædicandi Individuo proprium ac peculiarem Porphyrius respexit, Individuum *loco cit.* dixit esse, quod de uno solo prædicatur: *Ut Socrates, hoc album, & hic qui accedit*: quo pacto consentientes habet *Stablium in Instit. Log. p. 13. & Philippum Dutrieu in Manuduct. ad Log. tract. 1. part. 2. cap. 1. p. 35. Caspar. Barthol in Enchirid. Log. part. com. lib. 1. cap. 5. p. 68. 69.* qui eadem Definitione utuntur: *Individuum est, quod prædicatur de uno solo particulari* inquit *Dutrieu loco cit.* *Individuum est quod univocè de uno solo prædicatur*: ait *Barthol. loco cit.* Ubi verbum prædicari non est intelligendum de actu, sed de potentiâ, quando quidem Individuum est, etsi in propositione subjiciatur, aut planè extra propositionem consideretur, ipsaq; impossibilitas de pluribus prædicandi semper salva eademque manet, sive prædicatio instituat, sive non.

§. 5. Hoc igitur illi Autores, qui hanc Individui definitionem à modo prædicationis desumptam adhibent, volunt: Individuum esse terminum simplicem, qui ex vi suæ significationis quàm habet non sit aptus verè affirmari ac prædicari de multis univocè ac *divisim*, sed hoc modo univocè nempè ac *divisim*, de uno solo tantum modò prædicari & affirmari posse. Primò dicunt *divisim* non posse Individuum de pluribus prædicari, sed tantum de uno, hoc est, quæ. Individuum in sese tale, quale est, alteri nempè incommunicabile manet, & sub suâ formalitate individuali ad proprias ac específicas conditiones contractâ consideratur, eatenus illud sub eadem formalitate de pluribus prædicari nequit, quamvis conjunctim id de pluribus prædicari possit. Secundò dicunt *Univocè* id de pluribus prædicari non posse, hoc est, secundum unam eandemque significationem

quamvis secundum diversam significationem id fieri possit. Ut E. g. Johannes est Individuum, ille univocè, id est, secundum eandem significationem de aliis pluribus non potest prædicari, ut scilicet alia plura sint etiam ille ipse numero Johannes, de quo sermo nobis jam est, cessaret enim hæc ratione esse Individuum & incommunicabile quid, ratione suæ essentiæ numericè contractæ, & ut ita loquar, individuificatæ, cessaret esse Ens singulare, fieretque commune quid & communicabile.

§. 6. Interim tamen Johannes potest quoque prædicari de pluribus, nempe de Baptistâ & Evangelistâ & aliis, verum non univocè & sub eadem ratione, sed æquivocè & sub diversis rationibus. Quâ enim descriptione explicas nomen Johannes cum illo Baptistam significas, eâ non potes explicare idem nomen, cum Evangelistam aut alios significas. Cum enim illum significas nomine Johannis, intelligis eum, qui fuit præcursor Christi: Jam verò hæc descriptio neque Evangelistæ Johanni, neque aliis ita vocatis competit. Optimè hac de re Bartholinus loco cit. in suâ de Individuo datæ Definitionis explicatione loquitur: *Individuum prædicatur univocè (seu secundum unam eandemque significationem) de uno solo: Quo modo enim divisim de pluribus dicitur, quod pluribus non comunicatur, eâ ratione, quâ unum dicitur? & quod ex significationis suæ naturâ non nisi unam rem singularem denotat. Hinc si quis dicat, hoc nomen (Petrus) de pluribus illud nomen habentibus prædicari. Respondetur (1) Jam fieri æquivocum, cum tantum secundum nomen, non rem de multis dicatur. (2) Non est prædicatio, sed appellatio. Non enim rectè dico: Hæc persona est Petrus, sed appellatur Petrus. Nam personæ tantum à nobis tribuitur illud nomen; non ei in est ut accidens quoddam, multò minùs ut substantiale.*

§. 7. Nos præmissis ac consideratis hisce aliorum Definitionibus, cum B. Doctore Scharfio ex Man. Log. p. 26. Individuum ita describimus: *Individuum est, quod non potest dividi in plura, ejusdè naturæ & rationis, adeoque est aliquod numero unum.* Vocatur Individuû, quasi non dividuû sectione ac divisione logicâ, hinc n. accepit nomen Individui, quòd respuat divisionem & diffusionem ad plura particularia & inferiora. Idque h. l. non sumitur lato & impro-

improprio modo, quo modo nonnunquam ab Oratoribus, Poë-
tis ac Historicis Species genus appellatur, & Individuum Spe-
cies, & quo modo interdum ipse Aristoteles, cum aut ex alienâ
non propriâ sententiâ loquitur, aut vulgari loquendi consuetu-
dine utitur, in ejusmodi nempe libris, qui res logicas non con-
cernunt, Individuum, Speciem, & hanc Individuum appellare,
dicitur à *Bartholino loco cit. p. 68.* sed accipitur hic accuratè & in
sensu Logico, ita ut generi, speciei & reliquis prædicabilibus di-
rectè opponatur, & contradistingvatur. Vocatur aliàs ἀτόμον,
ἑνός, καὶ ἑξῆς ἑνός, Singulare, in Substantiis speciatim dicitur
ὑποκείμενον, suppositum, item τὸ τί ἐστι, hoc aliquid, Substantia
prima, in naturis intelligentibus aliàs persona salutatur.

§. 8. Porro sciendū est, aliud esse nomen Individuū, aliud rē
Individuā. Illud est nudū nomen rē individuā significans; est sal-
tē σημεῖον seu signū individuū, quo res singularis seu indivi-
dua effertur, mōstratur aut declaratur. Sic nomē Paulus nō ipsa
res individua est, seu hic homo, sed saltem in hoc homine est sig-
num, quo notatur Individuum. Et ejusmodi nomina Individua
possunt etiam esse in pluribus, & sic accidentaliter etiam dici
atq; prædicari de pluribus. v.g. hic homo est Paulus, & ille etiam
vocari potest Paulus, & iterum alius. Verū enim verò ipsa
res individua seu ipsum individuum est illud, quod per nomen
illud designatur, seu est ipsum Ens atq; res singularis, cui tale
nomen inditum est, atq; tale individuum seu res individua nun-
quam potest esse in pluribus nec de pluribus quit prædicari,
undè de hac præprimis Definitio intelligenda venit. Vide *B. D.*
Scharf. in Instit. Log. lib. 1. tract. 2. cap. 1. pag. 172.

§. 9. Ulterius in Definitione dicitur, quod Individuum
non possit dividi in plura ejusdem naturæ, rationis ac essentia,
scilicet numericæ, ita quidem nomen Petri potest dividi in mul-
tos hoc nomine gaudentes, natura tamen seu essentia Petrina
ampliùs divisibilis non est. Ut autem hoc exactiùs intelligatur,
observandum est, *divisionem esse duplicem, aliam physicam ac*
realem, aliam verò logicam ac mentalem. Divisio physica ac rea-
lis est, quando aliquid in partes reales ac materiales dividitur,
ita homo, quando moritur, tum realiter in duas partes reales
animam

animam nempe ac corpus divisione reali ac physicâ dividitur; ita cum arbor ferrâ dissecatur, tum realiter in partes materiales divisione reali ac physicâ dividitur: De tali divisione hoc loco sermo non est, quando de Individuis asseritur, ea dividi non posse, quin potius hoc modo Individua dividi posse dicendum maximè est, cum hic homo, qui est Individuum, in partes phisicas, ut in brachia, in pedes &c. secari ac dividi possit.

§. 10. Datur igitur præter hanc alia divisio, *logica* scilicet *ac mentalis*, quando aliquid in plura inferiora dividitur, quæ divisio locum habet in Categorijs logicis, ubi genera in species, & hæ iterum in Individua dividuntur, ad quæ cum perventum est, ea amplius dividi nequeunt. Ita e.g. animal tanquam genus in plura inferiora dividitur; species nimirum hominem, & brutum; itemq; specierum individua, hunc scilicet hominem, illud brutum, ubi subsistendum est, amplius descendi non potest, est enim fundamentum, basis, & columna, & quasi centrum, ultra quod alius non datur descensus, atq; ulterior divisionis ratio, quia ipsa natura hic quiescit, & divisionis finem quasi monstrat & injungit. Atq; hoc modo, divisione scilicet *Logicâ*, individua dividi, & in inferiora spargi non posse dicimus, cum enim ima sint, quomodo adhuc inferiora admittent, aut in inferiora dividi poterunt? Ita ut hoc modo *Contradictio* in adjecto sit, si dicatur: Est individuum, & tamen divisione *logicâ* in plura inferiora dividi potest:

§. 11. Atq; ex his quoq; claret, quomodo Individua unius ejusdemq; speciei differant, nempe quoad essentiam solo numero, quoad existentiam aliis accidentibus singularibus, quæ proprietates individuantes aliàs vocantur, & ex quibus ceu signis individuatio seu numerica individuorum distinctio describi solet. Proprietates individuantes, quæ in Individuis κατ' ἐξοχὴν talibus sive humanis locum habent, sequenti disticho comprehenduntur.

Forma, Figura, Locus, Stirps, Nomen, Patria, Tempus,
Propria quæ septem continet omnis homo.

Atq; per has Cōditiones seu proprietates individuantes differunt inter se individua humana vel formâ, sive tēperie, vel figurâ, vultu ac corporis staturâ: vel loco vel genere vel patriâ vel nomine

pro-

proprio, nequaquam verò hæ proprietates accidentales efficiunt, ut individua humana essentialiter ac specie distingvantur.

§. 12. Dividitur porro Individuum in *substantiale & Accidentale*: Individuum substantiale est res singularis & individua, quæ ratione essentiæ suæ substantia est, seu quæ entitatem habet substantialem, ut Petrus, Johannes, hic homo, hoc brutum. Individuum Accidentale est res singularis & individua, quæ ratione essentiæ suæ accidens est, seu quæ entitatem habet accidentalem. Ut: hæc albedo, hæc flavedo, hæc rubedo. Circa quam divisionem individui notandum est, rationem entitatis sequi etiam rationem individualitatis, ut ita loquar, hoc est, quia primariò substantia est Ens, secundario verò accidens Ens est, etiam primariò substantia ens singulare seu individuum erit, & secundario accidens entis singularis seu individui nomine gaudebit, quia enim entitas substantialis præcisè sumpta præstat entitate accidentali præcisè sumptâ, utiq; etiam Ens substantiale determinatum ad esse individuale præstabit ente accidentali ad esse individuale determinato, & per consequens primariò Individuum erit illud individuum, quod Substantia est, secundario verò individuum erit istud individuum quod Accidens est.

§. 13. Dividitur quoq; Individuum in *Vagum & Signatum seu determinatum*. *Individuum vagum* dicitur, quod constat ex signo particulari, & voce communi, sicq; indeterminatè vagè ac dubiè indicat rem singularem: ut, quidam homo, quoddam animal, quædam Substantia: Nam in ejusmodi signis Individuis dubium est, quodnam intelligatur, & de quenam sermo instituat. Potest a. talis terminus seu tale Subjectum certo respectu esse signum particulare, certo verò respectu singulare. Particulare, ut in exemplo: Quidam homo est animal: Singulare verò: Quidam homo fecit cœnam magnam, id est, Christus. Hujus individui vagi naturam pulchrè & nervose explicat *Mendoza Disp. 5. Log. sect. 8. p. 121.* quando ait: *Individuum vagum est singularis res, incerta tamen & quæ nomine proprio aut termino demonstrativo significari non potest, sed termino confuso, & sine*

B

distin-

distinctione, ut aliquis homo, quoddam animal, Petrus vel Paulus, hic aut ille puer. Dicitur Vagum ab intellectu, à cuius actu vagum formaliter dicitur: Non quod Objectum in se sit vagum, sed quia actus vitalis ad illud fertur vagè atq; confi se, & quantum est ex se non magis ad hoc, quàm ad illud, quo differt ab actu determinato, tendente ad hoc, & non ad aliud objectum. Si enim clarè novi Petrum, dico hic est Petrus & non alius, & dicitur vagum, quia non sistit intellectus & voluntas in uno certo q; singulari, sed per plura disjunctivè vagatur.

§. 14. Undè patet, quomodo Individuum vagum sit ac appelletur individuum scilicet non est, aut appellatur Individuum absolutè, sed cum appposito vagum, ut distingvatur modus significandi termini sumti cum præposito signo particulari à modo significandi termini per se sumti, quoniam terminus per se sumtus v. g. homo, potest accipi simpliciter, sive ut abstrahit ab Individuis v. g. Petro & Paulo, at terminus qui præpositum habet signum particulare, e. g. quidam homo, non potest ita accipi, sed perpetuò inportat individua, licet confusè ac indeterminatè, quod vel indè videtur, quod dicere possum, homo est species, non autem licet dicere, quidam homo est species, ratio hæc est, quia esse speciem convenit rebus non nisi ut abstrahunt ab omnibus inferioribus, quidam homo verò non potest ita abstrahi.

§. 15. Atq; hinc quoq; constat, Individuum vagum tantum æquivocè atq; inpropriè dici Individuum, partim quia illud formaliter non existit à parte rei, quia quicquid est realiter, certa res est ac determinata. At Individuum vagum formaliter est in intellectu, indeterminatè & confusè in rem singularem tendente, undè vagum formaliter non connotat rem, sed modum, quo illa confusè à potentiâ cognoscente attingitur. Partim quia Individuum hoc vagum reverà universale est, cum prædicari possit de pluribus divisim & univocè. Nam cum dico quidam homo, tum quidam homo in hac prædicatione significat rationem humanitatis explicitè, nempè adhuc per modum præcisionis ac indifferentiæ ad certa ac determinata inferiora, adeoque notat adhuc omnia Individua confusè & indeterminatè,

tè, nullum verò explicitè ac determinatè, quando enim postea, determinatio ac limitatio fit ad certum Subjectum, tum & Petrus est quidam homo, & Paulus est quidam homo, & Johannes est quidam homo, ut tutò dicere liceat: Paulus est quidam homo, Petrus est quidam homo &c.

§. 16. *Individuum signatum seu Determinatum est*, quò certa res, ac singulare aliquod Subjectum determinatè significatur, & luculenter nobis determinatur. Vocatur signatum seu determinatum, quia signat ac monstrat rem singularem, & quidem distinctè, & sine mentis nostræ distractione, quo ipso Individuo vago quod confusè atq; cum intellectus distractione, rem signat contradistinguitur. Atque hic individuum signatum vicissim quadruplex esse dicitur (1) ἀνθρομασικόν (2) περιγραφικόν seu descriptivum (3) δεικτικόν seu demonstrativum & (4) ἴδιον ὄνομα, *nomen proprium*. Individuum ἀνθρομασικόν dicitur nomen appellativum, quod κατ' ἐξοχήν pro uno certo singulari ponitur, ita ut eo nominato ac posito, statim Individuum certum intelligatur. Sic Philosophus ponitur pro Aristotele, Poëta pro Virgilio, Orator pro Cicerone; Eo quod nomen Philosophi κατ' ἐξοχήν Aristoteli, nomen Poëtæ κατ' ἐξοχήν Virgilio, & nomen Oratoris κατ' ἐξοχήν Ciceroni comperat.

§. 17. Individuū περιγραφικόν seu Descriptivū est, quod à proprietatib; individualib; certā rē singularē circūscribit, & ita certū Individuū circūlocutione aut periphrasi quadā designat. Ut: Eloquentiæ Romanæ Princeps, id est, Cicero: Redemptor generis humani, i. e. Christus: Individuum δεικτικόν seu demonstrativum est, quod particulā demonstrante, seu pronomine Demonstrativo certum aliquod Individuum notat, ut, hic homo, hæc mensa, hæc domus &c. Denique Individuum, quod ἴδιον ὄνομα seu nomen proprium appellatur, illud est, quod peculiariter ex arbitrio imponentium rei alicui singulari est inditum, quo illa res singularis singulariter nominatim atque designatur. Ut Petrus, Johannes, Anna, Maria. Sed sciendum, hanc Individui signati divisionem, quā illi id in ἀνθρομασικόν, in περιγραφικόν, in δεικτικόν atq; ἴδιον ὄνομα seu nomen proprium dividitur, non esse divisionem Individui in genere summi in di-

versa individua, cum unum idemque individuum possit significari nomine proprio, pronomine demonstrativo restringente nomen commune, nomine communi κατ' ἐξοχὴν, quâdam, ὑπερβαίνει & sic porro, sed esse tantummodò distinctionem Individui ratione diversarum appellationum, quæ tamen diversæ appellationes in unum idemque individuum cadere possunt.

COMMA SECUNDUM ELENCHTICUM.

Quæstio I. An Species Monadica v.g. Sol, Luna &c. sint Individua? Neg.

§. 1. Videtur quod Species illæ monadicæ non sint Species, sed Individua, primò quia actu de pluribus prædicari nõ possunt, quod tamen ad prædicabile, quale Species est, requiritur, quia secundò plura individua ejusdem naturæ atque essentiæ sub sese non complectuntur. Verùm prius quod concernit, dicimus, distingvendum esse inter prædicationem actualem & aptitudinalem, etsi Species illæ modicæ, actu de pluribus ejusdem naturæ atque essentiæ non prædicentur, potentia tamen & aptitudo prædicandi adest, ut si essent plures soles, plures, lunæ de istis etiam prædicatio fieret ac institueretur.

§. 2. Sufficit ergò aptitudo prædicandi, uti quoque prædicabile non actum sed aptitudinem prædicandi notat, quatenus scilicet illi non repugnat multiplicari posse. Ad posterius respondemus, non esse necessarium, ut plura adsint ejusdem naturæ & essentiæ, cum hætenus in confesso sit, Speciem posse conservari in uno Individuo, uti genus conservari potest in unâ specie. Confirmatur autem sententia nostra, quod nempe species istæ monadicæ sint veræ species, non individua (1) Quia in Scientiis considerantur, quod de singularibus & Individuis dici non potest, cum infinita sint, quorum nulla Scientia est, quia nimirum nobis incognita sunt. (2) quia non solo numero, ut Individua, sed essentiâ quoque ac specie hæc non proprietatibus specificis differunt, stat ergò sententia, illas non esse Individua, sed species.

Quæstio II. An Individua propriè dici possint Species infima seu specialissima? Neg.

§. 1. Ita

§. 1. Ita quidem *Ramus* cum suis Sociennis statuit referente *Clemente Timplero* in *Syst. Log. lib. 2. cap. 7. quest. 15. p. 252. 253.* Rationes eorum pro sententiâ affirmativâ has recenset: (1) Quia Individua participant nomen & definitionem speciei infimæ. (2) Quia sicut homo sese habet ad animal ita etiam Plato ad hominem, sed homo propriè est species infima animalis, E. etiam Plato est species infima hominis. (3) Quia relatorum unum unitantum opponitur, ideoque si homo est species infima respectu animalis, non potest esse Species infima respectu Platonis: sed potius dicendum est, quod sit genus Platonis. (4) Quia Species tantum refertur ad genus: ideoque ad Individuum relata amittit rationem Speciei & induit rationem generis. (5) Quia quicquid est superius illud propriè dicitur genus respectu inferioris: Et quicquid est inferius, id propriè dicitur species respectu superioris. (6) Quia usus benè differentium ac docentium idem testatur, sæpè enim Individuum apud probatos Autores nomine speciei, & Species nomine generis salutatur. Hinc Aristoteles Socratem & Coriscum vocat ἐξατά εἶδη, hoc est, ultimas Species, Et Jurisconsulti Stichum & Pamphilum vocant species, hominem verò genus.

§. 2. Verùm enim verò rationes hæc Ramisticas pro sententiâ affirmante pugnantes parùm prægnantes & admodum infirmes esse quilibet videt: Primam quod attinet, falsissimum est Individuum participare nomen ac Definitionem speciei infimæ: Aliud sanè nomen est Species, aliud Individuum, deinde quoque speciei specialissimæ definitio Individuo non competit: Species enim infima seu specialissima definitur, quod sit talis species, quâ nulla est inferior, quæque immediatè de pluribus numero saltem diversis in quid prædicatur: At quomodo Individuo hæc competet Definitio, illud sanè non de pluribus numero diversis, sed de uno tantum prædicari potest, illud non est universale, & pluribus communicabile, ut species specialissima seu infima est, sed potius singulare & pluribus incommunicabile. (2) Ad alteram quoque respondemus: Falsum hoc esse, quod ἀπλῶς atque simpliciter loquendo Plato ceu Individuum ita sese habeat ad hominem ceu speciem, sicut sese habet
homo

homo ceu species', ad animal ceu genus, atque ut propterea sequatur, quia jam homo proprie est species infima animalis, propterea etiam Plato est species infima hominis, non vero ejus individuum. Καὶ τὸ atque secundum quid seu particulariter id concedi potest, de aliquali convenientia, verum non universaliter & simpliciter loquendo de omnimoda convenientia; Hoc concedimus, respectu superioritatis atque inferioritatis hoc procedere, ut Plato tanquam Individuum sese habeat ad hominem tanquam ad speciem, ut inferius ad superius, uti sese habet homo tanquam species, ad animal tanquam genus, itidem ut inferius ad superius, interim tamen inde non statim sequitur convenientia respectu esse generici atque specifici, ut propterea Plato quoque tanquam Individuum sese habeat ad hominem tanquam speciem, ut species specialissima seu infima, uti sese habet homo, ut species specialissima seu infima, ad animal ut ad suum genus: Potest enim adhuc stante hac superioritate ac inferioritate ad speciem suam sese habere, ut individuum illius speciei.

§. 3. Falsa praeterea est ratio *tertia*, quia Relatorum unum uni tantum opponitur, propterea homo non potest esse species infima respectu Platonis, uti est respectu animalis, seu propterea homo non potest opponi Platoni ut species infima uti opponitur animali, sed potius ut genus, & per consequens Plato jam erit species infima respectu hujus generis. Resp. (1) Relatorum unum uni tantum opponitur, scilicet ut unius illius relatum, alteri tamen etiam opponi potest, etsi non ut illius relatum, tamen alio modo, ut Pater tanquam relatum opponitur in esse illo relativo uni, nempe Filio, tamen alio respectu etiam opponitur alijs hominibus, qui filii ipsius non sunt. (2) Homo non tantum animali generi ac superiori suo ut relatum & ut species infima opponitur, verum etiam Platoni Individuo ac inferiori suo, qui tanquam Individuum sub illo continetur, & quidem hoc modo, ut in illa quoque oppositione respectu Platonis maneat species infima, & non fiat Platonis genus, hicque illius species, id est Platonis genus animal, quod etiam genus est ipsius hominis, homo vero est species respectu Animalis atque Platonis, Plato vero respectu utriusque est Individuum, quia sub animali, ut sub genere, sub homine vero, ut sub specie continetur.

§. 4. Neque vero *quarta* Ratio aliquid in recessu habet, falsum enim iterum est, speciem tantum ad Genus referri, refer-
tur

tur quoque species ad Individuum, quanquam modus relationis sit diversus, quod non negamus, ad genus enim refertur tanquam ad superius, ad Individuum verò tanquam ad inferius: sed inquirunt: species ad individuum relata amittit rationem speciei, & induit rationem generis, Resp. Falsum hoc est, si enim species ad individuum referatur, manet adhuc species, speciei rationem retinet, & non fit genus, eodem modo uti species manet quando ad genus refertur, neque Individuum propterea illius species fit, sed manet quoque Individuum sub specie contentum. Porro ratio quinta vera non est: Nempe quicquid est superius, id proprie dici genus respectu inferioris, & quicquid est inferius, id proprie dici speciem respectu superioris: Non enim illæ quæ sibi invicem ut superius & inferius subordinantur, statim sibi ut genus & species subordinantur, ut propterea sese habeant ut genus & species, seu ut propterea alterum genus, alterum verò species appellari queat. Nam damus instantiam; Animal & Petrus sibi invicem ut superius & inferius subordinantur, E. ut genus & species? Homo & Petrus sibi invicem superius & inferius subordinantur, E. ut genus & species?

§. 5. Sed & ultima & Sexta ratio breviter expendenda venit, illa verò ab auctoritate desuta est, ajunt: Probatos Autores specie genus, & individua species appellare. Aristotelem, Socratem & Coriscum vocare *ἕχαστα ἐἶδη*, h. e. ultimas species, & Jurisconsultos Stichum & Pamphilum vocare species, hominem verò genus. R. Ita vocabulum Generis & speciei ab Autoribus illis non in propria & usitata, sed in impropria & inusitata significatione usurpatur, quæ significatio posterior priori nihil præjudicat, hoc n. quæritur, An Individua proprie loquendo species infimæ seu specialissimæ dici possint? quod negamus, per Individua enim proprie nihil aliud intelligimus, quam res singulares, quæ in alia inferiora sibi subordinata non sunt dividuæ, neque de aliis secundum naturalem prædicandi ordinem prædicari aptæ sunt: Per species verò infimas seu specialissimas, res universales intelligimus, quæ immediatè sub se continent res singulares, & de iis univoce & essentialiter prædicari aptæ sunt. Non igitur sunt universalium cum singularibus miscenda, non sunt distinctissima identificanda aut confundenda.

COMMA TERTIUM CANONICUM.

Canon. I. Individuum subijcibile est, non prædicabile de alio.

Hoc est: Individuum in Propositionibus loco Subjecti stare, atque



atque Subjectum esse potest, non verò potest stare loco prædicati, seu esse prædicatum. Quicquid in contrarium contra hunc Canonem afferri potest, id sequentibus evertitur distinctionibus. Dist. (1) est: Inter nomen Individui, & rem Individuam, seu rem nomine notatam. Quamvis jam nomen individui de pluribus prædicetur, ut: Petrus & Paulus, de hoc Petro, de illo Petro, de hoc Paulo, de illo Paulo, non ipsum tamen Individuum seu natura hoc nomine contenta. (2) Dist. inter Enunciationem atque prædicationem directam ac naturalem, quæ naturam imitatur, quando superiora de suis inferioribus prædicantur, v. g. Genus de Specie, species de Individuo, Differentia de specie, Accidens de subjecto: Quales veræ ac naturales prædicationes sunt, quando dico: Homo est animal, Homo est rationalis, Petrus est homo, Petrus est doctus: Indirectæ verò & non naturales: Animal est homo, Homo est Petrus &c. Et inter enunciationem atque prædicationem indirectam præternaturalem, identicam & tautologicam. (3) Valet Canon in Affirmativis non negativis enunciationibus, in quibus etiam procedit; ita rectè dico: Petrus non est Paulus: sed minùs rectè: Animal est Paulus vel Petrus est Paulus. (4) Valet Canon in enunciationibus propriis, non verò figuratis, ut cum dico: Johannes est Elias: tum quidem habeo duo Individua, quorum alterum fit prædicabile, sed impropriè seu figuratè. Vide B. D. Scharfium in *Instit. Log. l. c. p. 175. 176. Dn. D. Dannhæwer. Syllog. i. Can. Log. Can. 11. p. 16. 17.*

Canon II. Individua non considerantur primariò in Disciplinis.

Hoc est nulla ars Individua ut talia considerat: si nempe universalis species de Individuis datur, & si ob multitudinem sunt infinita, aliàs DEUS in Disciplinis consideratur, qui omninò tamen singulare seu Individuum est, verùm hic singularis existit sine specie, atque adeò hoc loco excipitur. Deindè Canon intelligendus est de consideratione individuorum, quæ fit in actu exercito, non de eà, quæ fit in actu signato. Nam in actu signato etiam in Metaphysicis singularia seu individua considerantur, ubi Ens in universale & singulare distinguitur. Quomodo etiam in Logicis de Individuo agitur.

Canon III. Individua sunt fundamenta generum & Specierum.

Hoc est, quod aliàs dici solet: Sublatis Substantiis primis, hoc est, Individuis, tolluntur Substantiæ secundæ, h. e. genera & species. Quia sublato fundamento, tollitur quoque id quod fundamento innititur, eidemque superstructum est.

Canon IV. Individuum est hoc aliquid: est alicubi, hic, & nunc.

Est n. illud semper determinatum certis suis circumstantiis, est semper per certas conditiones individuantes limitatum, & ad ḡ ḣ ṛ , hoc, hic & nunc restrictum, quod ex essentiâ ipsius singulari atque individuâ oritur.


SOLI DEO GLORIA!

Ung VI 73

ULB Halle 3
004 108 515





40
LOGICA
DUO
CORE IS
S
WICHMAN,
VS
ICUS BRAST
t.
nor.
AKEN,

